Collegii Juventi Applausus Pieridum in celeberrima Serenis. ac Invictiss. D. D. Vladislai Sigismundi inauguratione.

APPLAVSVS PIERIDVM
In Celeberrima
SERENISSIMI AC INVICTISSIMI DOMINI, D.

VLADISLAI SIGISMVNDI
REGIS POLON: ET SVEC:
Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, &c.

Inauguratione:

Factus à Nobilissima Iuuentute Pòes: Collegij Bialæ Ducalis, ex Acad: Cracouień: assensu & voluntate benefica in litteras, Illustriss: S. R. I. Principis, ALEXANDRI LVDOVICI RADZIVILI, Olyceń: & Nieświesień: Ducis, Comitis à Szydłowiec, Myr, & Kroże, Palatini Bresteń: Domini & Hæredis.

Ab Adm: R. D. CHRISTOPHORO WILSKI, Officiali per vniuersam Podlachiam, Canonico Luceorień: Præposito Bialeń: deducti & erecti: Protectione Illustrissima tanti Patroni ornati & propagati.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.
Anno Domini, M. DC. XXXIII.



Fulminis ales in astra petit Stephanomaq; ternum,
Miles in astra cupit, currit & ipse LEO.
Est seges in medio, cælum spectatq; coruscum,
PRINCIPE *cum proprio scandere in astra volunt.*

Valerianus Pepłowski, S. P.

ILLVSTRISS: DOMINO,
D. ALEXANDRO LVDOVICO RADZIWIŁO,
S. R. I. PRINCIPI,
Ołyceń: & Nieſuizień: Duci; Comiti à Szydłowiec & Myr, Kroze; Palatino Breſtenſi, &c.

Domino, Dño, Mecænati Ampliſſimo.

SOlliciti viatores, cùm ad certum & definitū ſcopum, Illuſtriſſ S. R. I. PRINCEPS, *Senator Ampliſſ: collimant, ſplendidiſsimum Solis, per viſendum mundum lumē diffuſum, in curſu ſuſcepto ſibi illuceſcere expetunt. Nec iniuriâ ſanè: Nobiliſsimus enim hic Planeta, præter hoc beneficium, quod vitam animalium, tam rationis vſu carentium, quàm etiam intellectûs præſtantia ornatorum, ex ſingulari Dei bonitate conſeruat: ſed etiam ne imbelliora in occurſus rapaciorum impingant, & ab illorum tenaciſsimis vnguibus, aut ſanguinolentis faucibus dilacerentur, illuminando ſuis radijs iter, à periculorum diſcrimine deducere conſueuit. En poſt tot tantasq; Regni, Eccleſiæ, & Cœli ipſius lætiſsimas Sereniſs:* REGI *noſtro VLADISLAO apprecationes, Muſæ tuæ Bialenſes, imbelles adhuc, & tenellæ, ad gratulandum Sereniſs: expeditæ iter ſuſcipiunt. Præter hoc obuiare ampliſsimis honoribus, occurrere Heroicis virtutibus, procedere auguſtæ gloriæ, quod verean-*

tur, in itinere ne vel à tumultuantium Crabronum aculeis, illarum facies molles defœdentur, aut à quorũuis infestorum animaliũ morsu saucientur, reformidant: Tuum splendorẽ antiquißimæ & Illustriss: Familiæ Principũ, & virtutũ Heroicarũ, vt periculosa loca deuiare possent, sibi irradiare desiderant. Tuæ enim Aquilæ conspectus illis iucũdißimus, omen porrigit, expectationem excitat, inflammat cupiditatem: cùm enim hæc oculos suos ad solẽ generis sui Illustriss: contorquet, radios eius excipiens, exceptos in maiorem lucem conuertit, & lucem ipsam in vniuersum quaq; latè diffundit. Tuarũ enim virtutũ heroicarũ splẽdorẽ, dum Lithuania, Podlachia, & vniuersa Polonia aspicit, suspicit, & inter tot præclara gesta Musarũ Bialẽsiũ amorẽ admiratur, miraculũ dicit & veneratur, ab alijs enim tanquã à stellis illuminari, à Te autẽ Illustriß: Princeps tãquã à solis lumine illustrari in futurũ se agnoscit. Velis nũc eis præbere splẽdorẽ, expectationẽ excitatã cõfirmare, dũ amplißimis Insignibus ac muneribus Serenis: REGIS *placere cupiũt & petũt. Dignabere deinde, hilari & pleno Maiestatis ac venerationis vultu applausũ Musarũ benignus accipias, Synceri animi Serenᵐⁱ ac Potentᵐⁱ expressã submißionẽ, tibi verò fideiẽ obsequiũ. Quod si nõ satis tersũ expolitum, Regio splẽdori, Aulicæ munditiei minimè accõmodatũ inueneris, Tua humanitate expolias, ac tuo fauore benigno extergas & amplectere. Quod si Musæ tãquã auroram amicã sibi fatis bonis id consecutæ fuerint, næ illæ felicißimũ & maximè optatũ cursus sui lumẽ se nactas esse recognoscẽt. D.T.O. Illᵐᵃᵐ V. Celsitud: ad Ecclesiæ suæ maximũ splẽdorẽ, Poloniæ præsidium, Reipubl: nostræ literariæ ornamentum, diutißimè ac felicißimè conseruet.*

Celsitudinis Vestræ Cliens,

Nicolaus Sulikowski, Profess. Col: Bialen.

ODE
Tricolos Tetrastrophos.

Quos ardens euexit ad æthera virtus,
Dÿs geniti potuêre.

QVis nos beauit nuncius vltimos
Nobis serenam restituit diem,
Insana decurrens per astra,
Alite sol meliore Olympi.
WLADISLAVM iam Regibus additum,
Moliri habenas, Nobilis ImperI,
Sceptroque donatum Polono,
Impauidis dare iura Lechis.
O dedicandam cælitibus diem!
Cressâ ô Poloni non careat notâ,
Quotcunque pugnaces sub axe
Frigidiore Poli manetis.
Ille & potentis se memorat genus,
Ab vsque Sceptris Austriacæ Domûs:
Qui victor orbitam trophæis
Sarmaticam recreauit almis.
Hoc Rege fædis nulla domus stupris,
Iam polluetur, pax dominabitur,

 Et æqui-

Et æquitas ſemper vigebit;
Iuſtitiæ rigiduſque feruor.
Moſchos rebelles, hic gelidum Scythen
Domabit, & quos horrida parturit
Furore correptos Moloſſos,
Othomani regio furentis.
Quid ritè norunt, poſſit & indoles
Nutrita fauſtis mens penetralibus;
Amor quid AVGVSTI Monarchæ
In Lechicum valeat Senatum.
Ter ſi nouentur ferrea mænia
Authore Moſcho, robore corruent,
Ter Regis iſtius, ter vxor
Vincta virum pueroſque flebit.
Emaſculato cum grege perfidus
Tentet Tyrannus, bella minacia:
Huic laurus illuſtres honores,
Othomano referet triumpho.
Nam ſemper acer Sarmatici imperij
Fuit patronus: Tartarici canes
Arces & Vrbes dum opprimendas,
Oſmanijs facibus volarent.
Antris Auerni Tænariæ ſtriges,
Tanquam Procuſtæ flumine ſordido,
Damnoſa depulſæ ruebant,
In mala Sarmatiæ dolentis.

Non

Non ominatos contudit impetus,
Dynaſta fortis ſemiferi gregis
Vt niſus imbelles columbos,
Fulminis ales agit Dracones.
Dedêre vocem faucibus horridis
Lupi leonum præda rapacium,
Conamur, heu fruſtra hic opimus
Effugere, eſtque ſalus triumphus.
Gens Sarmatarum Rege beatior,
Vt palma ſemper tendit in ardua
Oppreſſa, per cædes cruentas,
Pulchrior illa viret vigore.
Fæcunda quid non agglomeret dies,
Sæclum parentum maius auis refert,
Iam firmiores hi daturi
Progeniem generoſiorem.

Ioannes Krakow, Stud: Poeſ.

O D E
Monocolos Monoſtrophos.

Coronabo eum in vaſis virtutum. Eccl: 14.

IVſti propoſiti laudet Agenoreûm
Doctis carminibus, gens Arethuſidum
Regnum conſilio conſtituit ſuo

Subli-

Sublimique ferat Pyramydes situ.
Quas non tempus edax, non Boreæ furor,
Annorum numerus diruere haud queat.
Et grosphis Lysijs fingat adoreas
Pugnarum seriem Roma ferocium.
Laudes Sarmatici Principis omnibus
Præstant; cana fides cui pietas patrum,
In summum nitidi climatis & soli,
Custodem viguit pectore candido
Virtuti proprium fit decus & locus,
Aras in Superum, stirps Phlegetontica,
Debacchata fuit, fraudibus impijs,
Aris proque focis ille stetit potens
Alcmenâ genitus: non aliter Deos
Ferrent terribiles bella Gigantuli.
Audax Hector aut Bistonidum manus,
Cum Troiæ quaterent mænia, struxerat
Latonæ iuuenis, quæ Dominus maris.
Cordi cui pietas; vos Superi Ducem,
Seruate incolumem, curret in æthere
Titan purpureo Cynthia quàm diu
Fundet terrigenis noctilucam facem.

Stephanus Achacius Brzoská,
Stud: Poes.

ODE

ODE

Dicolos Tetraſtrophos.

Nilq́ꝫ pio maius Principe terra tenet.

IVnge fulgentes facibus iugales,
Et triumphantis renouato currus,
Igne temonem radioſe, Titan
Vertice cæli.
Inde deformes abeant tenebræ,
Et Iouis lætos iaculetur ignes,
Splendidas luces decet ire puram
Ætheris auram.
Gratias Nymphis geminiſq́; iunctas,
Verticem pulchrâ tetigiſſe lauro;
Nunc iuuat plauſus benè feriatos
Ducere ſoles.
Mæror in tetras repetat paludes,
Thracium luctus remeet ſub axem:
Intonent cantus, fluitentq́ue pleno
Gaudia paſſu.
Arbores mutas chelis icta traxit,
Hæmij vatis, ſtetit acer Eurus;
Saxa repſerunt, ſalijtq́ue Criſpo
Culmine Buxus.

Principem Lechi, nimiâ tumentem
Numinis flammâ, canitote cuncti,
Austriæ quondam patuisse genti
Nobile stemma.
Hic in Hircanis metuendus oris,
Perfidæ genti rigidus Gelonæ,
Ante crudele edomuit secundo
Marte Smolenscum.
Sarmatûm pergas animare gentes,
Rex bone & prudens, Superi iuuabunt
Corde conceptos niueos canorus
Dicere amores.
Cingit ingens te chorus aurearum
Alme virtutum; probitas Dynasta
Instruit dextrâ Cytharæ eruditum
Tendere plectrum.
O Deo iucunda, chelis, soloque,
Suauius verâ pietate nil est,
Fata supremi cohibere nouit
Magna Tonantis.

Præceslaus Krakow,
Stud: Poes.

ODE

O D E

Tricolos Tetraſtrophos.

Poſt Nubila Phœbus.

ASſurge vultu pulchra Polonia,
Fæcunda mater Magnanimûm Ducum,
Ceruice qui ſciſsâ Phalanges
Maumetidum tumulant ſuperbas.
Regina pennis ô volucrum citis,
Auras patentes ſcindito plumeis
Remis, in aſtra vade præpes
Non tenui ſpolio decora.
Longas amicis numinibus preces
Perſolue grates: præmia ſi velint
Mentes beatæ, ſi repoſcunt
Dona, feret, feret aula REGIS.
Deuota ſacris victima maximo,
Fumabit aris, Cælicolûm Patri,
A plebe fundentur, Senatus
Pectore vota preceſque caſto.
Quod digna tanto PRINCIPE Lechia,
Sit certo amoris ſubdita Symbolo,
Quam ſeruat vt non ſit cruoris
Pro patriâ reſerare parcus.

Arridet illi Purpura Regia
Labor parauit Martis adorea
Virtuſque contexit Coronam,
Pro varijs meritis, perennem.
Sperate Lechi gaudia, gaudia,
Vobis perennat tempus amænius,
Curruntque felices Manipli,
Sole dies referente lætos.
Vires en adſunt PRINCIPE cum nouo,
Mores & albâ certa fides genâ,
Serto triumphali coruſcans,
Sarmaticis hilareſcit agris.
Lætare felix ô Academia
Legum Patronus, Sceptra tenet tuus,
Amplexus hic Craci Lycæum
A tenero ingenioſus vngue eſt.
Tubæ ſonoræ murmura clangite
Vocate læto lætitiam die
Interque ludentes Camænas,
Belligeros iuuat ire plauſus.

Stanislaus Berżeński,
Stud: Poeſ.

O D E

Tricolos Tetraſtrophos.

Virgam vigilantem videte. Ierem: 1.

IAm iam inquietus conticuit fragor,
Emiſſa Regum Nuncia ſanguine,
Pacem renatam pacem oliuæ,
Sarmatiæ reuehit volucris.

Quâ nixa Regni pulchra viget ſalus,
Et purpurati ſæcula temporis
Voluentur, en culmus beatus
Diluuij ſcelus effugabit.

Non iam furores Danubius ciat,
Deſpumet Iſter verbera feruidus;
Portendat æther nec Cometas
Perniciem arma ferens Polonis.

Moſchæ paludes fluctibus expuant
Sæuas procellas, vel mare Caſpium
Nec voluat ingentes aquarum,
Hæreſeos fluuius, tumultus.

Pacem reuerſam iam bene nunciat,
Ferendo virgam frugiferam Lechis,

Ales ſecundum iam Polonas,
Omen alit refouetque terras.

En virga certæ ſtat vigilantiæ,
Propulſat apros dentibus efferis,
Vineta fœdantes IESV,
Carniuorumque greges luporum.

Ergo vireſcens creſcat amabilis,
Fæcundet illam ſydereus liquor
Serenet æther poſt repoſta
Fulgeat æthereis coluris.

Staniſlaus Lugowski,
Stud: Poeſ.

TROPHOEVM.

Flecte oculum Spectator, Mirare, Deliciare, Aggratulare.

PLENVM TRIVMPHORVM, VICTORIARVM. NON RVNCINIS POLYCLETI TRIVMPHALE TROPHOEVM EFFIGIATVM, SED AD SIPARIVM PALLADIS PENICILLO APOLLINIS, IN MNEMOSYNON PERPETVÆ SVBMISSIONIS DELINEATVM;

Hic præfigimus.

VLADISLAVS SIGISMVNDVS,

MAGNVS MAGNORVM REGVM REX SVECIÆ, PRINCIPVMQVE SANGVINE PRINCEPS, ELECTVS POLONIÆ IN AVGVSTISSIMVM MONARCHAM, INPRIMIS DEI PRÆPOTENTIS VOLVNTATE, DIVORVM TVTELARIVM DIVINISSIMO FAVORE, ECCLESIÆ MILITANTIS FELICISSIMIS VOTIS, TRIVMPHANTIS, FAVENTISSIMIS SVFFRAGIIS, TOTIVS ORBIS MONARCHARVM ARDENTISSIMIS DESIDERIIS, CONTRA IVRATOS ORTHODOXÆ FIDEI HOSTES, ACERRIMOS POLONIÆ OPPVGNATORES, DESIGNATVS

IMPERATOR.

O

Fælix tam Augustissimo Arrhabono Polonia, PIETATI tuæ inprimis in Deum, cuius voluntate & imperio hoc regendum suscepit Imperium: tum CVLTVI in Diuos, quorum precibus fugabit fundetq; hostes eius. AMORI denique in Academiam altricem Studiorum, pietatis, quam promouebit, augebit, tuebitur, sedulo. D. D. D.

MONVMENTA.

Amplectere, Venerare, Æmulare.

EPIGRAMMA
IN MANIPVLVM REGIVM.

Reges erunt nutritores tui. *Isa: 49.*

SArmata pande tuam, fælix ô Sarmata, dextram.
Munera missa polis, excipiasq́; sinu.
Prende manu segetes, quas Regia prata tulêre
Non teritur Lybicis talis arista iugis.
Non similes messor proscindit ad ostia Gangis,
Auriferâ in campis quos rigat Indus aquâ.
Si credis minimè dictis, Diademata spectâ:
Missa Dei credes munera tanta manu.

Basilius Szuyski, Vexil: Brest: filius. S. P.

A L I V D.

FAsces Romulidum ferro signantur acuto,
Nouimus inde feris currere sæcla globis,
Intertexta fuit Romano fasce securis,
Et pœna semper signa cruenta dabat.
Talia Sarmaticus non spondet signa Maniplus,
Fertilitatis habet Symbola, pacis habet.
Ista seges Regnum replet, tam diues arista,
Aurea (quod mirum est) gemmea sæcla dabit.

Vladislaus Sawicki, Dapif: Podlach: fil. S. P.

In Aqvi-

IN AQVILAM.

Renouabitur iuuentus tua vt Aquilæ. *Pſ: 102.*

AD medicas lymphas currit Regina volucrum,
Sic vitæ renouat tempora prima ſuæ.
Ales & Eois flamma iuueneſcit in oris,
Thurifero accendens pectora priſca foco.
Auſtriadum volucris Baptiſmi fonte lauatur,
Et calet aſsiduo pectus amore Dei.
Si ſic ô PRINCEPS *multis dominaberis annis,*
Atq; tuus nullâ languor egebit ope.

Franciſcus Szuyski, Vexil: Breſt: fil. S. P.

ALIVD.

Portabit vos ſuper alas Aquilarum. *Exod: 13.*

SArmaticam volucrem ſpectans Iouis armiger aulæ,
Dixit ab obſequijs, viuere nolo Iouis.
Mallem, Sauromatum magno ſeruire Dynaſtæ,
Contra hoſtes promptus tela triſulca dare.
Nam ferit Eccleſiæ generoſi dextra Strategos
Contudit aſtripetes qualiter ipſe Iouis.
Dixit; & ante pedes poſuit Iouis ignea tela,
Nam puto plus Regi robur ineſſe Lechi.

Staniſlaus Wisłouch, S. P.

ALIVD.

Gloria & honore coronasti eum Domine. *Ps: 8.*

VNo Phœbus, in orbe poli, fert lumina passu:
Sarmatiæ PRINCEPS *paßibus innumeris.*
Et pietatis adest fulgor, fideiq; beatæ,
Perpetui Dias pandit amoris opes.
Rebus in aduersis sapientia vera probatur.
Consilioq; regit, iudicioq; gerit.
Phœbus adest Lechis REX *: Luna, solumq; polumq;,*
Laude suâ exornat, pingit honore suo.

Stephanus Ielski, S. P.

ALIVD.

O Æquanda domus Cælis Tua Magne Monarcha,
Quot referat mundo, tot generatq; Duces.
Illustres animos repetam si Marte cruento,
Seu sit opus doctâ Pallade, prima vocat.
Laude Micat, virtute Nitet, Regumq; Curules,
Nimirum generi consociatq; suo.
In gazis non plura suis occludit Olympus,
Digna Tuo generi clauderet ille daret.

Alexander Brzozowski, S.P.

ALIVD.

Benedices Coronæ benignitatis. *Psal: 64.*

NOn sic vndarum Dominus cum Pallade certat,
Vrbs cui Cecropidum sorte sacrata foret:
Quàm fatis REGEM *titulat Te Gottia* PRINCEPS,
Lechia magna suum, dicit & ipsa Ducem.
Illa Tibi Titulos Regis præfigere debet,
Sarmata non debet Teq; negare suum.
Hunc dono potiore beas REX. *Natio bina*
Esse suum dicit, sola Polona suum.

Ioannes Kłodziński, S. P.

ALIVD.

QVantum terra capit fructus de lampade Cæli,
Tantum de Sceptris, Terra Polona Tuis.
Illa refert violas, fruges, suauesq; racemos,
Et Tua fælices fundit arista dies.
Florea Chloris, opes si tantas legerit agris,
Quantas de Palmis Terra Polo na Tuis.
Et Ceres & Chloris valuissent Spargere maius
Munus, & immensum sorte beare solum.

Gregorius Szeligowski, S.P.

VOTVM
AD DIVOS TVTELARES POLONIÆ,
PRO SERENISSIMO REGE, ET PRO FELICISSIMO EIVS IMPERIO.

MEntes beatæ, Pegmate ſyderis,
Fulgetis ipſis pulchrius ignibus
Titanis, aut eius ſororis,
Climate cùm radiant nitentes.

Auguſte Præſul ô STANESILAE
Curam Polonæ gentis habe tuam,
CANTI IOANNES ô benigne
Sarmatiæ decus æuiternum.

Fauete noſtro ſydera PRINCIPI.
Ille vt Polono viuat in æthere,
Ruſſoque ſplendeat Trione,
Noctifugis Melior Gemellis.

Fortuna Ponto siue ab Iberico,
Transportet Indum, nomen in vltimum.
Hunc Nobilem REGEM Booti,
Deferat Arsinoæque Nigræ.

Hic & caducis non inhiat bonis,
Opes paternas qui bene dissipat,
Non hunc perire æuo fugaci
Fluxa dies patietur ætas.

Et si fugaces depereant dies,
Labuntur anni, sed pietas moram
Retardet, & rugis senectæ,
Indomitæ Lachesisque falci.

Viuat tot annos, Cærula Palladis,
Baccas quot arbor, dat mare pulueres,
Regni Poloni laus perennis,
Lux columenque sui Senatus.

Ætate vincat Nestora sæculis,
Vixit trecenis, ac Epimenidis,
Vincatq; mille plus Maniplos,
Euboicos numeretque Soles.

Mater Tonantis Virgo Puerpera,
Errantium lux, spesque fidelium,

Defende

Defende Lechorum MONARCHAM,
Præsidio vt Famulum benigna.

Seruato pacem Diua Poloniæ,
Diasque mentis suggere copias,
Turcasque deuolue ad Polonûm
Sceptra Ducis, Dominique Russi.

Martianus Korycki, S. P.

CHRONOSTICHON.

VLADISLAE tibi serult gens maXiMa LechI,
LegibVs æternVm serViat illa tVis.

Remigius Stobiecki,
Stud: Poes.